

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO IX.

CONTRA CON-
CILIVM TRIDENTINVM

è Dn. D. MARTINI CHEMNI-
TII Examine deprompta continens
III. capita.

- I. Pontificiorum sententiam de peccato Originis.
- II. Orthodoxorum Theologorum sententiam Pontificijs oppositam.
- III. Argumenta Pontificiorum.

Quam privata cōversatio ventilandam
Sub præsidio

SALOMONIS GESNERI

S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris in
Academiâ VViteberg. publ. pro-
ponit. 17. die Aprilis.

HERMANNVS SAMSONIVS
Rigâ Livonius

VVITEBERGAE,

Typis VVolffgangi Meilneri,

Anno 1062.





REVERENDO PIETA-
TE, ERVDITIONE ET VIR-
TVTE PRAESTANTISSIMO VIRO

Dn. ANDREÆ BAUMMANNO EC-
CLESIASTAE apud Rigâ Livonos vigilantif-
fimo

NEC NON
CLARISSIMIS ET PRVDENTIA AT-
QVE Autoritate præcellentissimis viris

Dn. THOMÆ RAMO IV Licen-
tiato & Reipub: Rigensis Senatori dignissimo

Dn. PHILIPPO MITTENDOR-
PHIO Secretario ibidem fidelissimo

*Dn. Mecænatibus suis atq; amicis perpetuum
colendis*

Hasce à se confectas theses dedicat
Respondens.

CAPVT PRIMVM IN QVO RECL
TATUR Pontificiorum sententia de peccato
originis.

THESIS I.

Postquam hætenus de autoritate, canone, versione, & interpretatione scripturae sacrae, & traditionibus humanis disputatum est: nunc ad controversos articulos accedamus in quibus Concilium Tridentinum Ecclesiam Augustanae Confessionis plurimorum errorum accusat, inque eas anathematum fulgura verum ea ex pelui desumpta agminatim contorquet & vibrat.

II.

Primum verò in acie controversorum articulorum locum sibi vendicat iste, qui est de peccato Originis, cuius vera agnitio omnino est necessaria: neque enim potest intelligi magnitudo gratiae Christi, nisi cognitis nostris malis, ut verissimè pariter & piissimè in apologia Confessionis Augustana dicitur.

III.

Proinde nos καὶ τὰς ἐπιταγὰς Examinis in instituto nostro progrediemur & locum illum de peccato originis modo pertractabimus, talem servaturi methodum, qua per ἀγῶν seu remotionem falsarum opinionum ad δέον sive verioris sententiae assertionem pervenire, & Pontificiorum sophisticaciones de ponte deicere queamus.

IV.

Quemadmodum autem Simsonis vulpes caudis colligatae, capite verò discunctae erant: Ita etiam hoc in articulo variae Pontificiorum strophae sese nobis offerunt, quae quidem à se invicem dissentire: nihilominus tamen ad unum scopum collineare videntur.

V.

Scholastici scriptores varias de peccato originis opiniones se
A 2 invicem

invicem jugulantes habuerunt. Quorum alij peccatum originis tantum esse nudam privationem, & non positivam aliquam pravitatem haerentem in natura humanâ affirmârunt. Alij fomitem peccati tanquam morbidam qualitatem haerere tantum in carne, qua inclinet appetitum sensitivum & mediante eo etiam voluntatem ad inferiora, asseruerunt. Alij fomitem ponunt in appetitu sensitivo, & sentiunt superiorem partem rationis ab omni depravatione immunem, liberam, & integram esse, nisi quod aliunde paulû inclinari possit ad inferiora: Et multa disputant, fomitem illum nõ esse de ratione peccati originis. Alij tandem opinantur, peccatum hoc neq; privationem, neq; positivam aliquam pravitatẽ esse in homine, sed tantû reatum propter lapsum Adæ sine pravitate aliqua haerente in nobis.

VI.

Hæc sunt rancida illa & absoleta scholasticorum dicta, quibus olim totum terrarum orbem dementarunt sed videamus iam, an Pontificiorum opiniones, quas hodie Tridentini Concilij patroni & interpretes tuentur, ab illis differant.

VII.

Albertus igitur Pighius Antichristiana scotomia totus laborans portentiloquijs suis hunc in modum rethoricatur. Tria sunt quæ in Ecclesia de peccato originis definita sunt. I. nõ õi quod sit. II. Vnde sit ex propagatione scilicet ab Adamo. III. Qui sint eius in nobis effectus. At verò nõ ñ est, & in quo consistat eius propria ratio Ecclesiasticâ definitione certum non est. Pro censorio autem suo supercilio acerbè damnat tum D. Augustini sententiam, quod peccatum originale sit concupiscentia: tum Augustanam Confessionẽ, quod voluerit tradere definitionem peccati originis.

VIII.

His ita præmissis hunc in modum tandem peccatum originis describit quod non sit vitium aliquod non depravatio aliqua, non habitus corruptus, non qualitas vitiosa haerens in nostrâ substantiâ, Eam enim illi integram esse statuunt: Sed quod peccatum originis, sit actualis transgressio Adæ reatu tantum & pœna propagata ad posteros sine vitio aliquo & pravitate haerente in ipsorum substantia.

9. Porro

IX.

Porro reatum illum in hoc consistere ait, quod propter Adæ peccatum extorres facti sumus regni celorum subiecti regno mortis & æterna damnationi obnoxij, & omnibus humana vitæ miserijs involuti. Et vero carentiam iusticiæ originalis & concupiscentiam nõ habere rationem peccati sive in parvulis sive in adultis sive ante sive post bap̄snum. Has enim affectiones non esse vitia sed natura conditiones in nobis, sicut ex seruis qui proprio vitio libertatē amiserunt nascuntur serui non suo sed parentum vitio. Et sicut filius scorti sustinet infamiam matris sine proprio aliquo in se hærente vitio.

X.

Hac est pregnans illa Pighij sapientia, vel potius veteratoria *κυσεία καὶ σεβλότις*, quam Ambrosius Catharinus Episcopus utraq; manu tenuit, adeo ut mirandum sit, eos, qui Roscij videri volunt, hoc ungue se scabere.

XI.

Sed bellè habet: Pergamus nos visuri, quas quisquillas Andradius in aurco suo flumine iactet. Hic enim est unicus ille, qui instar statuarum Mercurialium ad viam mysteriorum nos perducit, quæ parterculi Conciliabuli Tridentini silentio potius obvolueret, quam in vulgus spargere voluerunt.

XII.

Is igitur pro *σπερμολογία* sua sic nugatur. Concupiscentia qualis est in hac natura corruptione fuit etiam in integrâ naturâ, sed ita ut cohiberetur à iusticiâ originali. Ideo per se non est peccatum, si tantum frenetur: id quod fit in renatis. Amissionem vero iusticiæ originalis in Adamo pugnare non cum lege aliquâ Dei, inquit, sed cum generali tantum illa legis natura sententiâ, quâ natura cõservatio unicuiq; demandatur: In nobis vero carentiam illam iusticiæ originalis tantum habere de ratione peccati, quantum habeat de voluntario. Sed quia minimam habet rationem voluntarij, ideo peccatum originis minimum esse omnium peccatorum.

XIII.

Hoc nimirum est os istud bestia loquens magna & blasphemias & egre-

Et egregie Papizans, sicut Apocal. 13. habetur. Sed meta blasphemiarum & portentosarum opinionum nondum est hic fixa.

XIV.

Sic enim Franciscus de Mayro fermento Andradicarum opinionum succulentus subnectit. Sed peccatum originis in particulari fuit solummodo voluntarium, voluntate scilicet Adæ: Sed in universali, hoc est, in nobis omnino est involuntarium. Ergo omnino nullam habebit rationem peccati.

XV.

Et ne hic quidem impijs suis opinionibus metam figunt: nisi etiam alios ἀτιλίγοντες anathemathismis suis pręgravent. Monhe-
mius enim qui dixerat, propensionem ad peccandum & ἀταξία
cupiditatum, quas simul cum naturā induimus esse peccatum origi-
nale: & tantam esse naturę corruptionem peccato originis contra-
etam, ut nihil à tali possit natura cedi aut effici non perversum aut
contaminatum, ab ijs damnatus abiit.

XVI.

Quid vero de paterculis istis silentiarijs Concilij Tridentini dicemus? Num illi sanio rem de hoc loco fidem fovent? Nihil certe minus. Pro ijs enim advocatus & ὑπὲρ πειρασίων eorum Andradius enucleate satis respondebit, quale ipsi μορμολύκειον in rupe suā Tarpeia parturterint.

XVII.

Sic enim pro ipsis Andradius. In naturā humanā depravatā sine renovatione Spiritus restat adhuc aliquod bonum non in exter-
nā tantum disciplinā, verum etiam quoad res spirituales. Nimirum
nonne hoc est cum Pelagianis eandem serram per unam eandemq̃
lineam reciprocare? Iudicet qui potest.

XVIII.

Quin imò hi paterculi etsi aliud sedentes domi consusurrarūt:
hoc tamen stantes foris publicarunt, reliquas omnes opiniones
quales eacunq̃ sint, in hoc articulo liberrimas esse: doctrina autem
Augustana Confessionem non esse liberam.

XIX.

Quis iam tales Papistici roseti flosculos non suspiciat? Dignè
utiq̃

atq; suis cultoribus. Et quis non me Christe iuraverit, non ovum ovo esse similis, quàm has Pontificiorum strophas putidissimis Scholasticorum nugamentis.

XX.

Sed finis tandem aliquando, imponatur enumerationi papisticarum corruptelarum. Et ubi post hac τὸ ἐκείνῳ sive δέσῳ elucida verimus, τὸ ἀντικαλόν sive ἀντιδέσῳ ut vult Nazianzenus lib. 1. Theolog: disturbemus & edertamus.

CAPVT SECVNDVM IN QVO ORTHODOXA loci huius ἐξηγήσις proponitur.

I.

Prima itaq; cura in hoc capite nobis incumbit ut dispiciamus, unde Orthodoxa loci huius sententia sit desumenda? Illam vero nõ ex rationis humana territorio, neq; ex tortuosis & captiosis Aristotelis & Galeni discursibus, sed ex liquidissimis Israelis fontibus desumendam esse, profitemur. Quare pudeat Papicolas, quod multa de hoc articulo cornicantur, nullo adhibito scriptura dicto: cum non minus theologo indignum sit loqui sine scriptura, quàm Iureconsulto turpe est sine legibus loqui.

II.

Premittemus autem definitionem nostram à Pontificia descriptione δὴ τὸ δὲ τῶν ἀποστόλων distantem, eamq; firmissimis scriptura dictis communiemus. Ea vero sic habet. Peccatum originis est carentia iusticie originalis debite inesse hoc est in natis ex virili semine amissio lucis in mente, & versio voluntatis à Deo, & contumacia cordis, ne possint vere obedire legi Dei, secuta lapsum Ada, propter quem lapsum & propter quam corruptionem nati sunt rei & filij ira, hoc est, sunt damnati à Deo, nisi fuerit facta remissio propter Christum.

III.

Ut autem ut δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἁγίων ad singulas definitionis partes roborandas perveniamus, consideranda nobis primum erit humana natura excellentia & integritas, qualis ea fuit ante lapsum. Sic a G. 1. v. 27, s. v. 1. 9. Sap. 2. v. 23. Eccles: 7. v. 1. Collos. 3. v. 10. habetur: Conditus fuit homo ad imaginem Dei: hoc est ut Pa-

179



lus Ephes: 4. v. 24. explicat, in iusticiâ & sanctitate veritas.

IV.

Verum postquam homo $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\tau\epsilon\gamma\iota\alpha$ Sathana à Deo deficit, summâ illam perfectionem, $\sigma\upsilon\mu\phi\omega\nu\iota\alpha\upsilon$ καὶ $\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\gamma\iota\alpha\upsilon$ omnium virium ac facultatum amisit, & primâ illâ suâ iusticiâ & integritate excidit: ac successerunt mentis vanitas & caligo, ignorantia cordis, mentis & voluntatis $\iota\delta\iota\omicron\kappa\alpha\theta\epsilon\alpha$, affectuumq; $\alpha\tau\alpha\chi\iota\alpha$.

V.

Quæ omnia naturali propagatione in nos derivantur. Vt enim si non peccasset Adamus, liberos genuisset iustos, naturæq; integra & perfectæ, sicut erat ipse: Ita post lapsum genuit filios secundum imaginem suam & non secundum Dei imaginem Gen. 5. v. 3.

VI.

Definit autem hoc peccatum definitio nostra $\sigma\epsilon\gamma\iota\omicron\epsilon$ seu privatione, καὶ $\delta\epsilon\omicron\sigma$ seu positione: sicut virumq; Apostolus Rom. 7. complectitur. Privativum v. 18. & 29. Positivum v. 23.

VII.

Partes huius peccati 2. sunt, Defectus & Concupiscentia. Defectus est $\sigma\delta\upsilon\alpha\mu\iota\alpha$ naturalis ad bonum, & carentia iusticiæ originalis. Non enim homo habet naturaliter potentiam seu vim seu dona efficiendi iusticiam spiritualem erga legem Dei, nec in mente, nec in voluntate, nec in corde,

VIII.

Nam mens (quæ vox secundum scripturam complectitur intellectum, iudicium, assensionem, & cogitationes) caca & ignara rerum divinarum, & tenebra passim in scripturâ appellatur Esai: 9. v. 2. 60. v. 2. Ioan: 1. v. 5. Ephes. 5. v. 8. Actor: 26. v. 18. Luc. 1. v. 79. & 1. Cor: 2. v. 14.

IX.

Voluntas dicitur reluctari Deo Psalm: 57. v. 5. Exod: 10. v. 30. Imò mortua Ioan: 5. v. 21. Ephes. 2. v. 1. Coll: 2. v. 13. libera iusticiæ Rom. 6. v. 20. serva autem peccati Ioan: 5. v. 34. Inimicitia adversus Deum Rom. 8. v. 7.

X.

Cor dicitur à Deo esse aversum Gen. 5. v. 5. Jerem. 16. v. 12.

Olstins

Obstinatum, crudeles, incircumcisum, respiscere nesciens Rom. 2. v. 5. Et ut Apostolus 1. Cor. 2. v. 14. breviter ἀδυναμίαν mentis, voluntatis, & cordis describit: Animalis Romo οὐδέχεται οὐ δύνανται πνεύματι ea, quæ sunt Spiritus Dei. Ratio est quia κατ'ἕξιν spiritualia ei desunt.

XI.

Concupiscentia seu prava inclinatio est pronitas, qua homo movetur ad faciendum ea, quæ cum lege & voluntate divinâ pugnant: & contumacia cordis ac voluntatis adversus legem Dei, quæ amissa integritati & iusticiæ originali successit, Gen. 6. v. 5. Ierem. 17. v. 9. Rom. 8. v. 7. Ephes. 2. v. 3, Psalm. 5. v. 7. Rom. 3. v. 11, 12. & seq:

XII.

Et sicut defectus notat τὸ ἐκκλινῆναι: Ita concupiscentia δέσιν. Talis inclinatio, in mente est propensio ad cogitationes vanas ac falsas: ad errores: erroneas opiniones: deniq; ad dubitationes de Deo: In voluntate est pronitas facilimè in securitatem carnalem, in diffidentiam erga Deum & c. proruens: In corde est impetus ad iracundiam, odia, livorem & c.

XIII.

Et hæc inclinatio est talis prava qualitas, quam sequitur actio: ita videlicet, ut etiamsi actu nondum velimus facere, quæ lex prohibet: velimus nihilominus inclinatione, quæ tamen & ipsa peccatum est Gen. 6. v. 3. Rom. 8. v. 7.

XIV.

Sic quando describitur reparatio & restitutio hominis per spiritum renovationis, simul ostenditur antithesis depravationis Rom. 12. v. 2. Ephes. 4. v. 23, Coll. 3. v. 9. Iam vero inchoatur reparatio in omnibus partibus & viribus hominis in hac vitâ, ut tandem aboleatur corpus peccati Rom. 6. v. 6: Adeo ut hinc liquido pateat, omnia quæ sunt in homine, esse peccati veneno adulterata, siue actu siue inclinatione.

XV.

Sic iterum quæ qualis & quanta sit natura humana per peccatū depravatio, scriptura ostendit, quando describit, quales sint originalis illius morbi reliquæ etiam in renatis in hac vitâ Rom. 7. v. 14, 22, & 23. Gal. 5. v. 24. Coll. 3. v. 8.

XVI.

Deniq;

Deniq; in toto homine, qualis est ex primâ natiuitate, in omnibus eius membris & partibus ponitur sedes originalis prauitatis. Vetus enim homo Rom. 6. v. 6. Gal. 5. v. 24. cum morbis & concupiscentijs iubetur crucifigi. Paulus aliàs absq; Epitheto in numero singulari peccatum, ut Rom. 5. v. 12: aliàs cum Epitheto peccatum inherens seu natura penitus insidens Rom. 7. v. 18. & 20. ἐστὶν ἡ φύσις τοῦ ἁμαρτωίου undiq; circumstans & omnes vires ac facultates penitus obsidens, Heb. 12. v. 1. aliàs legem membrorum Rom. 7. v. 23. Rom. 6. v. 6. corpus peccati, legem & ἐστὶν δουλεύων carnis Gal. 5. v. 16. aliàs alijs appellationibus vocare solet. Psalm. 51. v. 7. testatur David, peccatum habuisse tunc in suâ massa, etiam cum primū inciperet formari.

XVII.

Sic Gen. 6. v. 5. affirmatur: Omne figmentum cogitationum cordis humani duntaxat malum esse omni die, etiam tunc quando fetus adhuc inter viscera materna delitescat. Et ne quis existimet imitatione tantum cor humanum hanc maliciam contrahere cap. 8. v. 21. addit à puericiâ.

XVIII.

Comprobant idem propheta & reliqui sancti viri Iob. cap. 14. v. 4. & 15. v. 16. Esa: 48. v. 8. Jerem: 17. v. 9. lib. Esdrae cap. 4. v. 30. Psalm. 51. v. 7. Confirmat hoc ipse seruator Ioan. 3. v. 6. Ioan. 1. v. 13. Paulus Rom. 5. v. 12. Euehes. 2. v. 3. Ioannes 1. Ep. cap. 3. 4. 1. & 5.

XIX.

Hæc est vera & constans scripturae sententia de hoc articulo, quæ in sulsas Romanensium speculationes in finem proculcat. Et sic Deo propiciante ex scriptura omnes definitiones nostræ partes probauimus.

XX.

Nolumus enim abnormibus Pontificiorum ratiocinijs & Τερατολογίαις credere. Scripturas iam interrrogauimus, interrogauimus Apostolos, interrogauimus prophetas, interrogauimus Christum, sicut habet Ambrosi: lib: 1. ad Gratiâ: de fide cap. 4. Nolumus expectare alium magistrum, habemus verbum Dei, nemo nos potest sic docere teste Chrysi: homiliaq; in Exempla ad Coloss:

XXI.

Verum expedito etiam diuersi nostro, pedem iam proferemus ad ἀντιπαλον Pontificiorum, eoq; confutato colophonem thesibus nostris addemus.

CAPVT

CAPUT TERTIVM DE ARGVMENTIS
Pontificiorum.

I.

Tales itaq; argutias & argumentorum pondera ad conclamam tam suam causam obtinendam Pontificij neētunt. Natura humana in primā creatione cum esset integra, ita condita fuit, ut in mente voluntate, corde, & reliquis viribus esset talis ἀταξία & rebellio, qualis iam etiam in renatis adhuc reliqua esse cernitur.

II.

Respondeo per inficiationem. Purissima enim & sanctissima fuit in primā creatione natura humanā sine aliquā ἀταξία corruptionis & rebellionis iuxta ultimum præceptum. Sicut id Paulus interpretatur Rom. 7. v. 7. Et qualis fuerit imago Dei in homine, ipsa restitutio in homine, quæ in hac vita per spiritum S. inchoatur, in alterā vero absolvitur, satis ostēdit Rom. 12. v. 1. Ephes. 4. v. 23. Collos. 3. v. 10.

III.

Sic non minus ἀσυνλόγως & est altera ipsorum obiectio. Peccatum non potest esse sine lege. Sed parvulirationis usu destituti lege obligari nequeunt. Ergo parvuli originaliter non peccant.

IV.

Respondeo ex August: lib. 6. contra Iulianum Pelag: cap. 4. tom: 7. coll. 4. Parentum peccata aliena sunt proprietate actionis: nostra sunt contagione propagnis. Et scriptura vocat peccatum originis nō tantum actionem voluntariam cum electione susceptam: sed omnē defectum, cogitationem, motum non congruentem legi Dei. Et maior ὡς ὅτις loquitur de peccato actuali. Ideoq; committitur hic μετὰ βάσις εἰς ἄλλο γένος

V.

3. Obiectio eiusdem est farina. Nulla lex à Deo est lata, cui repugnet, quā arguatur & damnetur defectus iusticiæ originis, & quæ in eius locum successit concupiscentia. Respondeo per inficiationem. Creatus enim fuit homo ad magiuem Dei, quæ fuit conformitas cum norma iusticiæ in Deo, quæ in lege divinā patefacta est, iuxta vocem legis, Deut: 6. v. 5. Deut 27. v. 26. Et quemadmodum hæc conformitas congruebat cum lege divina: Ita hæc difformitas dissentiat ab ea, & per eam damnatur.

VI.

4. Qb-

4. Obiectio: Definitio Augustini (quâ definitur, nihil habere rationem peccati, nisi fiat à sciente & volente) propriè convenit peccato originis. Respondeo, probandum hoc erat ex scriptura: Quin potius propriè convenit peccato actuali: contortè vero & violenter peccato originis. Et quicquid hic Pontificij de voluntario garrunt: id omne scriptura uno vocabulo ἀνομιᾶς 1. Ioan. 3. v. 4. in lutum proculcat. Voluntas vero & assensus in actualibus peccatis locum habent. Ac tamen si infantes actu secundo τῆ ἐνεργείᾳ non possunt assensum præbere: tamen ipsa facultas πρὸς ἀρετὴν vitiata & in malum proclivis est Gen. 6. v. 5. Gen. 8. v. 21.

VII.

5. Obijciunt, corruptionem non esse tantoperè amplificandam, ut nihil in ea pium, nihil bonum, nihil non contaminatum agnoscamus. Respondeo scriptura constanter hoc refutat Iob. 14. v. 4, Rom. 7. v. 18. Gen. 6. v. 5, ubi notetur vocula Iezer.

VIII.

6. Obijciunt ex 6. capite Gen. v. 5. non ipsum cor sed figmentum cordis, id est, propensionem & concupiscentiam ad peccandum, accusari. Respondeo absurde hoc explicari & Iezer seu figmentum cordis, testante scriptura, significare intimas cordis cogitationes, fictiones, meditationes, Es. 26. 3. 1. Par. 28. 9. 1. Par. 29. 18. Deut. 31. 21. Paulus interpretatur φρόνημα σαρκὸς intellectum carnis, eumque esse inimicitiam adversus Deum asserit Rom. 8. 7. Et Scriptura aliter docet Luc. 6. v. 27. Ierem. 17. v. 9.

IX.

Hæc sunt adamantina illa, si deus placet, Romanensium argumenta, quæ nullo fere admoto ariete facile per se collabescunt. Cætera in ipso disputationis actu, Deo propiciante, discutienter uberius.

X.

Nos vero cū Davide exclamemus Psalm. 19. v. 13. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Et cum Anselmo theses nostras terminemus, qui in meditationibus suis sic inquit. Terret me vita mea. Namque diligenter discussa apparet mihi aut peccatum aut sterilitas. Et si quis fructus in ea videtur, sic est simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit aut non placere Deo, aut dispicere. Certè tota aut in peccato damnabilis, aut infructuosa, & contemptibilis.

F I N I S

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





17470c

Retro

VD17







173.
9



ORATIO IX.

RA CON-

RIDENTINVM

RTINI CHEMNI-

deprompta continens

l. capita.

sententiam de peccato Origi-

Theologorum sententiam

Pontificiorum.

συντηρησά ventilandam

ib praesidio

IS GESNERI

Doctoris & Professoris in

Viteberg. publ. pro-

7. die Aprilis.

VVS SAMSONIVS

à Livonus

BERGAE,

ffgangi Meilneri,

ano 1062.

